


Sarton I, 495

II, 176

Kaskins

Decorative border of repeating stylized symbols.

BOSTON MEDICAL
LIBRARY



COLLECTION OF
EDWIN NEWTON OHL, Ph.D.

Decorative border of repeating stylized symbols.



Bibliotheca Afflictorum in Prædicatione
27

MORIENI

ROMANI, QVONDAM
EREMITAE HIEROSOLYMITANI,
de transfiguratione metallorum, & oc-
cultis, summaque antiquorum Phi-
losophorum medicina, Li-
bellus, nusquam hacte-
nus in lucem
editus.



Capitulo Galieno

Hanc non impuris manibus fraudator auarus
Attingat,
At sapiens, superos in primis qui colat, et qui
Noscendis penitus causis modo gaudeat, huc se
Conferat, hanc totis se detur viribus artem.

CVM PRIVILEGIO.

PARISIIS,

Apud Gulielmum Guillard, in via Iaco-
bæ, sub diuæ Barbaræ signo.

1 5 5 9.

REGIA

IN NOVO MUNDI

REPUBLICA

DE

LIBERTATE

ET

JUSTITIA

1791

LEGE REGIA CAUTVM
est, ne quis, præter Gulielmum Guil-
lard, imprimat Libellum Morieni Ro-
mani, de trāsfiguratione Metallorum,
&c. aut alibi impressum diuēdat intra
fines huius regni, hinc ad decennium.

REGIA

IN NOVO

REPUBLICA

DE

1791

Candido Lectori, Salutem.



VI nunc demum oculis tuis se offert aurifera artis libellus, & paucis antea visus, & saepe multis optatus fuit.

Scriptores inferioris aetatis, à quibus ille crebrò laudatur, hoc loco proferrem, si breuitatis studium non vetaret. Fuit autem quondam ex Arabico sermone, in Latinum quomodocunque conuersus. Duo peruetusta illius exemplaria, non ita pridem nacti sumus: quorum alterum, interpretis nomen praefert: alterum, supprimit. Loquendi modo transfatores longè dissident, ut in eorum collatione deprehendimus: & quãuis neuter satis dexterè, & verbis benè Latinis Morieni sententiam aperiat, incerti certè magis est incöcinna loquela: & quod pluris interest, in hoc etiam pleraque desiderantur, quæ in illo nequaquam otiosa reperiuntur. Alioqui re congruunt: exceptis aliquot locis, fortè scribarum vitio deprauatis. Castrensis igitur conuersionem, ut minus malam, ac magis gratam emisimus: alterius tamen in margine ascripta discrepantia, quoties agitur de re alicuius momenti.

Faxit Deus, ut hic quãtuluscunque labor, tibi sit fructuosus. Viue & vale.

OMnes Chryſopœia libros, ſimul & ſtu-
 diofos, nullo discrimine rides. Qua gra-
 tia? Nam intempeſtius iſte riſus aliis
 videatur, ſi deſit cauſa, quam ei obtendas. Nonne
 tu in chemiæ profeſſoribus pecunia abundantiam,
 & in ſcriptoribus formularum veritatem deſide-
 ras? Scilicet, vniuſcuiuſque & vniuerſorum num-
 mos tractaſti, eorúmque numerum ſubduxiſti: quin
 etiam, euoluíſti omnia ſcripta authorum eiuiſce ar-
 tificij: immo verò ſingulas illorum ſententias per-
 fectè intellexiſti: atque adeò, ſolerti quadam ex-
 perientia, infidas eſſe probaſti. Sic iuſtus es deri-
 ſor: tuoque circunſpecto iudicio, Morienus etiam
 Romanus, ut in chemiſtis, ita in nugatoribus non
 infimum locum obtineat. Sed heus tu, nobis ignota
 ſunt iſtiusmodi rationes: atque equidem, quod inter
 nos dicere liceat, nolim tibi prius ſubſcribere, quã
 abditum ipſius Morieni ſenſum, quem, ſi diuſ pla-
 cet, pulchrè calles, aperto ſermone oſtendas, illiúſque
 fallacias, experimentorum, aut argumētorum vi-
 ribus cōuincas. Si hoc præſtiteris, meritiſſimò certè,
 nobiſque approbantibus eum rideas: ſin minus, tu
 quidem, quātum coniectura auguramur, ſanitate
 eges: ac ſi me audias, antequam morbus amplior
 fiat, anticyras nauigabis.

LIBER DE COMPOSITIO-
 ne Alchymix, quem edidit Morienus Ro-
 manus, Calid Regi Ægyptiorum. Quē
 Robertus Castrensis de Arabico,
 in Latinum transtulit.

PRÆFATIO CASTRENSIS.

HEgimus in historijs veterum autorū,
 tres fuisse philosophos, quorū vnus-
 quisque Hermes vocabatur. Primus autē il-
 lorū fuit Enoch, qui alio nomine Hermes,
 & alio nomine vocabatur Mercurius. Secū-
 dus verò fuit Noë, qui similiter alio nomi-
 ne Hermes, & alio nomine Mercurius est
 nūcupatus. Eorum autē tertius, fuit Hermes
 qui post diluuium in Ægypto regnavit, &
 eius regnum diu obtinuit. Iste autem à no-
 stris antecessoribus dictus est triplex, pro-
 pter trinam virtutum collectionem, sibi vi-
 delicet à domino Deo attributam. Erat au-
 tem iste Rex & philosophus & propheta.
 Iste verò fuit Hermes, qui post diluuium o-
 mnium artium & disciplinarum, tam libe-
 raliū, quā etiam mechanicarum, primus

A. fuit

fuit inuentor & editor. Omnes namque
qui post ipsum fuêre, suo itinere incedere
& suis vestigijs inhærere nitebantur. Quid
plura? longum esset nobis & etiam difficile,
tanti ac tam magni viri virtutum ornamē-
ta & actus, in memoria ad præsens reducere.
Cum & hoc genus dicendi in huius libri
diuini trãssatione non suscepimus: nec etiã
nostri ingenij tenuitas, aut studium vel scri-
bendi ocium, nobis ad hæc explicanda pos-
sint sufficere. Sed idcirco eius nomē in hu-
ius lib. prologo introduximus, quoniam
ille hunc librum primus inuenit & edidit.
Hic est namque liber diuinus & totus diui-
nitate plenissimus. In eo enim duorum te-
testamentorum (veteris scilicet & noui) cõ-
tinetur vera probatio. Si quis namque in
hoc libro multum studuerit, & eum ple-
nariè intellexerit, veritas vtriusque testa-
menti, nec non & vtriusque vitæ modus
& sufficientia, illum latere non poterunt.
Hic est autem liber, qui nominatus est li-
ber de cõpositione Alchymix. Et quoniã
quid sit Alchymia & quæ sit sua compo-
sitio, nondum ferè nostra cognouit lati-
nitas,

nitas, in præfenti sermone posui istud verbum, licet ignotum & admirabile, vt sub diffinitione clarescet. Hermes verò, & alij qui post ipsum fuêre, hoc vocabulũ ita diffiniunt, vt in libro de substantiarum mutatione. Alchymia, est substantia corporea ex vno, & per vnum composita simpliciter, preciosiora ad indicem per cognationem & effectum coniungens, & eadem naturali cõmixtione, in genus melioris naturaliter cõuertēs. In sequētibus verò hoc quod diximus, explanabitur, vbi & de eius cõpositione ad plenum tractabitur. Sed nos, licet in nobis tenuè sit ingenium, & latinitas permodica, hoc tamen tantum ac tam magnũ opus ad transferendum de Arabico in latinum suscepimus. Vnde & de singulari gratia nobis à deo inter modernos collata, summo illi deo viuo, qui trinus extat & vnus, grates referimus. Nomē autem meum in principio prologi taceri non placuit, ne aliquis hunc nostrum laborem sibi assumeret, & etiam eius laudem & meritum sibi quasi proprium vendicaret.

Quid amplius? humilis omnes rogo & ob-

A ij

secro,

Quid sit Alchymia.

secro, ne quis nostrorum erga meum no-
men mentis liuore (quod sæpe multis cõ-
suevit) tabescat. Scit namque deus omniũ
cui suam conferat gratiam, & spiritus
ex gratia procedit, qui quos vult
inspirat. Merito igitur gaudere
debemus, quum omniũ crea-
tor & conditor omnibus
quasi particularẽ suã
monstret diui-
nitatem, Illa
nos tota nõ
lateat.

❁ MORIENI ROMANI ❁

EREMITAE HIEROSOLIMYTANI.

Sermo.



Mnes Philosophiæ partes, mens
Hermetis diuina plenariè attigit.
Quum autem ille per annos mul-
tos in magisterij superioris inuen-
tione & editione studuisset, tandè hoc ma-
gisterium inuenit primus & edidit, ac de eo
librum composuit, quem sibi met proprium
deputauit, & post suum obitum suis disci-
pulis in hæreditatè dereliquit. Post obitum
verò illius, discipuli eius in hoc libro & e-
ius præceptis, per multa tempora studuère,
vt scilicet eius effectum adipisci possent.
Postquam ergo suum consequuti sunt effe-
ctum, de eo varia & etiam innumerabilia
dedere præcepta. Quod idcirco fecerunt, ne
ipsi qui post ipsos hanc adepti fuissent sci-
entiam, eam quasi vulgarem insipientibus de-
tegissent. Post multum verò temporis à pas-
sione D. nostri Iesu Christi, surrexit quidam

A iij homo

homo diuinus, donis spiritualibus præditus, qui quum in diuinitate permultum temporis studuisset, inter libros diuinos hunc lib. inuenit. Fuit autem vir iste ab Alexandria oriundus, vnde suo nomine Adfar Alexandrinus vocabatur. Hic verò postquam librum præfatum inuenit, mente peruigili atque industria in eo studere nõ desinebat. Postquam verò in eo studuisset diu, eius effectum atque scientiam ad plenum est adeptus. Ex hac igitur scientia vir iste diuinus multa, varia, & innumerabilia dedit præcepta. Quæ quum sub suo nomine per vniuersas nostræ regionis partes diulgata fuissent, mihi tunc temporis in vrbe Roma moranti, huius viri nominis & illius scientiæ fama quasi volando peruenit. Nam in eo tempore fui ego Romæ (vnde & ortus fueram) constitutus. Eram autem tunc iuuenis, cuius videlicet mentum prima lanugo nõdum obduxerat, studens scilicet, & doctrina Christianus à primæ ætatis gradu ab utroque parète effectus, cui etiam se tota iam latinitas detexerat. Audito ergo huius viri nomine & fama, parentes & patriam simul festinus

festinus deserui, nec quieti nimix meos artus exhibui, quousque Alexandriam deuenissem. Ingressus vero sum ciuitatē, ac tandiu per vicos & calles nouus hospes incessi, donec huius viri domum inuenissem. Tandem verò illius domum inueni, & eam ingressus sum: quam quum ingressus fuisset, hunc virum in suo oratorio sedentem, & in suis libris studentem iuueni. At ille postquā oculos suos in me defixit, intuens me ait, amice huc accede. Accessi autem ad illum, & iuxta eum super stramentum, quod ibi fuerat appositum, confedi. Erat vir iam multum ætate decrepitus, sed adhuc vultu strenuus, & facie & statura corporis decorus. Nā & eius vultus omnia quæ in illius mente latebant, se diligenter intuentibus indicabat. Postquam autem confabulati sumus, quæsiuit, ille quo nomine nuncuparer, & vnde essem oriundus, & quæ meæ viæ causa extitisset. At ego respondi & illi dixi. Ego Mōrienus vocor, natione Romanus, quem videlicet tui nominis & scientiæ fama, de parentibus & patria discedere coëgit. At ille subiunxit. Quænam est fides tua, aut cuius deorum

deorum cultor existis? At ego respondi: Fidem meam Christianã profiteor: nam Christi sum cultor, & illum deum trinum & vnũ adoro. Postea dixit Adfar, Bonum est autẽ te me inuenisse, & adhuc me homine mundano septum inuenisse. Propalabo namque tibi totius diuinitatis secreta, quæ ferè omnibus hæctenus detegere recusauit. Tu vero mihi totis mentis tuæ viribus intentus adesto: nam & ego te faciam totius meæ disciplinæ filium. His igitur altrinsecus dictis, nimio gaudio sum gauisus. Quid plura? Longum esset nobis in huius operis institutis singula de quibus adinuicem tractauimus, enumerare & dicere. Remansi tandem cum illo, & me illi intantum amabilẽ exhibui, quod ille mihi totius diuinitatis secreta detexit. Postea mortuus est Adfar: Et ego post eius obitum, post dies paucos, ab Alexandria recessi & Hierosolymam deueni, in cuius etiam finibus mihi eremũ elegi: in quo vitã meæ fidei & professioni habilem ducere potuissem. Antè verò non multis annis surrexit quidã rex in Ægypto, nomine Macoya. Hic autẽ genuit filium, nomine Gezid, qui

post

post mortem sui patris in Ægypto regna-
uit, & illius regnum obtinuit. Gezid autem
genuit filiam nomine Calid, qui post mor- *Calid rex.*
tē sui patris, diu in Ægypto regnavit. Fuit
autem Rex iste sapiens & prudens vir, & in
omni scientia perspicuus: diligebat enim
multum sapientes & philosophos, propter
disciplinam communē, sed maximē pro-
pter huius libri scientiam. Iste vero non si-
nebat incessanter per prouincias notas, ac
ignotas inquirere, si aliquē inuenisset, qui
sibi huius libri documēta reuelare potuis-
set. Hoc igitur amore cōpulsus multos sa-
pientum & philosophorum secum retine-
bat, qui huius libri magisteriū se scire pro-
fessi essent, cū penitus ignorarent. Hos
quoque multis & maximis ditabat donis,
in eorum verbis diu cōfusus. Me itaque die
quadam in eremo existente, fama huius
regis mihi à quodam peregrino delata est:
quam quum audissem, eremum dimisi, &
quam citius potui, ad suæ regionis fines
transmeaui: Non scilicet vt ab eo diuitias,
seu dona inquirerem, sed vt dilectum do-
nis specialibus instruerem. Postquam vero

B suos

suos fines sum ingressus, loca quampluri-
 ma cundo lustraui, & tandem regem inue-
 ni. Quem cum inuenissem, & de quibusdā
 secum contulissem, inueni illum magnæ sa-
 pientiæ virum, & omnium virtutum orna-
 mento prudentissimum. Dixi ergo ad illū,
 O bone Rex, deus te ad melius conuertat.
 Volo autē vt iubeas mihi domum, & meo
 magisterio habilem præparari. Iussit ergo
 Rex mihi domum præparari, & ad meum
 libitum ornari. Introiui autem hanc do-
 mum, neque ab illa exiui, donec totum cō-
 pleui magisteriū, & cōpletū in domo appo-
 sui, & circa vas in quo fuerat positum, hæc
 verba depinxi: Omnes autē qui secum om-
 nia habent, alieno auxilio nullatenus indi-
 gent. Postquam hæc scripsi verba, ab vrbe,
 & omni ipsa regione clam discessi, & ad
 meum eremum sum regressus. Postea ve-
 rò Rex domum, quam ego dimiseram, est
 ingressus, & magisterium perfectum vti il-
 lud dimiseram inuenit. Quod cum magis
 ac magis diligentius intueretur, vidit ver-
 ba, quæ circū vas scripta dimiseram: qui-
 bus perlectis ac bene intellectis, ilico me
 absen-

tem defleuit, & omnibus, quos huius magisterij causa per multos annos secum retinuerat, iussit capita amputari. Dixit postea Rex, Aduocate Galip meum feruum fidelem. Erat autem Galip suus captiuus, quem sibi suus pater Gezid ante eius obitū, ob sui fidelitatem dederat. Confidebat autem in eo Rex multum, qui dixit ei, O Galip serue mi, nescio quid mihi à modo sit agendum. Dixit autem Galip ad regem: Domine mi, deus prouidebit quid deinceps simus acturi. Tristatus est autem rex multum, & vltra quam credatur die ac nocte condoluit. Factum est autem deinde post annos aliquot, dum rex quadam die ad locum, qui dicitur Dirmaram, venandi studio exiret, quod Galip captiuus, hominem quendam in solitudinibus errantem inuenisset. Interrogauit eum & dixit ei. Amice quis nam est tu, aut vnde venis, vel quo vadis? At ille homo respondit. Ego Hierosolimytanus sum: nam ego in Hierusalem natus sum, & per multos annos in montibus Hierosolimitanis cum quodam eremita conuersatus sum: me autem ibi morāte, audiui quo-

*Galip man-
cipium &
fidelis ser-
uus Calidis*

*Quae hactenus narra-
ta sūt in al-
tero exem-
plari incer-
ti interpre-
tis emissa
deprehendi-
mus.*

modo Rex Calid incessanter perquireret, qui sibi magisterium Hermetis demonstraret. Postquam autem hoc de rege audiui, mox à mea patria discessi, vt & hoc Regi Calid nuntiafsem. Scio enim hominem in hoc magisterio doctissimum, quem Regi demonstrare valde desydero. Tunc ait Galip: Tace frater, tace, hucusque tibi dixisse sufficiat. Malo autem te viuere quam mori: nam multi ad regem venerunt, qui hoc magisterium se scire profitebantur, qui cū ad suæ professionis exitum peruenire non potuissent, à rege interfecti sunt. Timeo ergo & tu si cum huiusmodi sermone in conspectu regis astiteris, ne interficiaris. Tunc homo ille ait. Noli timere hoc: sed in conspectu regis me venire ne differas. Galip igitur dicit, hoc mihi iam placet, sed caue ne moriaris. Adduxit ergo Galip hunc hominem, & statuit eum coram rege, & ait: O bone rex, ecce homo qui mori non metuit. Vt ergo rex suos oculos in eū defixit, intuens illum ait, Quis nam es tu? At ille respondens ait, Hierosolymitanus sum, qui quum in montibus cum quodam heremita con-

ta conuersatus fuiſſem, audiui à multis tui nominis & bonitatis famam, & quomodo tu indefinenter queras ſapientes & doctos, qui videlicet magiſterium Hermetis ſenis tibi oſtendiſſent. Veni ergo ad te ô bone rex, & vt tu meis acquieſcas conſiliis, & tui deſyderij compos efficiaris. Scio namque virum in montibus Hieroſolymitanis habitantem, cui omnis ſapientia à domino Deo reuelata eſt. Nam in ſua fide firmiſſimus à Deo & hominibus iudicatur. Die namque quadam, quum in ſuo eremo de rebus quãplurimis tentaremus, cõtiguit caſu quod mihi diceret, ſe hoc magiſterium poſſe perficere. Quo audito, quũ in ſua veritate ſæpius mihi cognita cõfiſus, tum ex hoc quod in omni anno multa auri & argenti pondera, vti ego ſæpius videram, ad Hieruſalem ciuitatem tranſmittebat, ſui ſermone certiſſimus mecum ſæpius confe rebam, quod ſi ego in conſpẽctu tuo aſiſterem, multis me ac magnis ditares donis, & nunquam à tua gratia me ſeparares. Tũc rex ait: Quis eſt huiuſmodi ſermo, quem tu dicis? aut quæ mens integra hucuſque te

B iij venire

venire persuasit? Nescis stultissime, nescis quot & quales propter huiusmodi sermonem à me interfecti sunt. Sed & si ea quæ tu dicis (quod non opinor) vera fuissent, & multis tu ditareris donis, & nunquã à mea gratia à modo separareris. Nam si vera non fuerint, maximum scias te subire tormentum. Tunc homo ille ait, O bone rex utroque tui promisso sum placatus: tu tamen meis acquiescas cõsiliis. Item rex ait, O homo de qualitate huiusmodi viri & eius habitu mecum pauca cõferas: venit namque ad me annis præteritis vir quidam, qui, ut verum tibi confitear, mihi hoc magisteriũ perfecit: qui cum perfecisset, rem effectam, sed non eius scientiam mihi dimisit, & clã secessit & abiit. Tũc homo ille ait: Vir iste nimis est ætate decrepitus, statura magnus, vultu & facie præclarus, moribus ornatus, cuius etiam vita & habitus deo non displicent: Est enim in montibus Hierosolymitanis eremita. Sed etsi nomen eius multum scire desideras, Morienus Romanus, senex, eremita nominatur. Tunc conuersus Rex ad suum seruum Galip, dicit: hic verè est homo

homo ille, de quo hætenus tecum condolu-
 lui. Dixit autem Galip: O bone Rex ita est,
 vt ego existimo. Gauisus est rex multum, &
 vltra quam credi potest, hunc hominẽ be-
 nignius accepit. Iussit ergo rex huic homi-
 ni dona dari quamplurima, & in simul ma-
 iora ei promisit. Hæc est igitur historia
 Morieni Romani: quomodo scilicet ipse
 magisterium Hermetis est adeptus.

Incipit Sermo Galip serui & captiui Re-
 gis Calid, filij Gezid, filij Macoya.

Dixit Galip captiuus. Post paucos quidẽ
 dies postquam hæc ab eo homine regi
 nunciata fuissent, venit hic homo & ste-
 tit coram rege & ait. O rex bone, Deus ad
 bonum te couertat. Nolo autem vt ea quæ
 tibi promisimus diutius differamus. Ad-
 uoca ergo oēs tuos homines natu melio-
 res & ex eis mihi aliquos accommoda, qui
 mecum vadant & mecum simul reuertan-
 tur: grandis enim nobis restat via. At rex
 vultu placido illum intuens ait, bene dicis:
 fiat. Tunc iussit me rex festinãter coram se
 aduocari: qui quum coram se stetissem, di-
 xit ô Galip serue bone, congrega omnes

*Hic abru-
 pto eiusdẽ
 narratio-
 nis contex-
 tu, ineptè
 sub alia
 persona
 pergitur.*

meos

meos natu meliores tecum, & ex illis quot & quales huic homini placuerint elige, qui videlicet vobiscum simul vadant & reuertantur: nam ille dixit, grandis nobis restat via. Feci igitur iuxta quod rex preceperat: Et post paucos dies iter nostrum incepimus. Hierusalem quidem iter incepimus, & per multa loca inuia & deserta eundo, multos dies consumpsimus, & tandem Hierosolymam deuenimus. Qui quum in solitudinibus montium errando fatigaremur, inuenimus neremum in quo Morienus Romanus Senex eremita vitam suam ducebat. Quem quum ingrederemur, inuenimus ibi quendam virum senem statura, longum, in corpore macrum, vultu & facie preclarum, de cuius etiam situ & habitu, multum sumus admirati. Eius namque tota cutis ab asperitate cilicij, quo erat indutus, rugosa existerat. Tunc dixit nobis homo ille qui nos secum huc adduxerat: O socij, hic est Morienus Romanus Senex eremita. At ego dum magis ac magis illum diligentius intuerer, eum ilico agnoui: Quo agnito, illum ex parte regis Calid salutavi.

Cuius

Cuius audito nomine, vir bonus subrisit, & nos propius iussit accedere. Gauisi sumus ergo, & læti cum eo confedimus. Interrogauit autē nos vir dei, & de statu nostri regis, & de statu regni. quæ quum illi nuntiarem, viæ nostræ causam sibi propalauit. At ille ad se conuersus ait: multum gaudeo filij, quoniam me inuenistis. Ibo enim vobiscum: vt & Rex Calid me diu exoptatum videat, & quæ sit mira creatoris potentia à me recognoscat. Postquam igitur per dies aliquot artus nostros labore itineris fatigatos recreauimus, redeuntes iter incepimus, & in nostram patriam regressi sumus. Qui quum coram rege venissemus, vidit rex virum Dei: quem quum vidisset ilicò eum cognouit, & me recipiēs ait. O Galip serue bone, hic est verè vir propter quem tecum diu condolui. Volo autem vt ea quæ vobis in itinere obuiauerunt, mihi protinus edisseras. At ego totam rem à suo principio sibi ordine digessi. Agnouit ergo Rex virum Dei, quem adduximus, & eum iuxta se federe fecit, & dixit ei: O senex, ego volo vt tu nomen tuum

C

mihi

*Dialogus
Calidis &
Moriēni.*

mihi dicas, & tuæ professionis modū pandas: Non enim in altera vice licuit hæc omnia à te inquirere. De tuis namque verbis adhuc diffidebam. Tūc vir Dei respondit. Ego Morienus Romanus vocor. Mea autem professio, fidei Christianæ est. Mea quoque religio & habitus, sunt eremitæ.

** al. Hir-
cal.
Religio &
natura Mo-
riēni.*

Tunc Rex ait: O Moriēne quot transferunt anni, postquam vitam & habitum eremitæ elegisti? At ille respondit: Post quatuor quidem annos à morte * Herculis Regis, eremita incedo. Placatus est igitur multum Rex super huius viri prudentiam, & eius humilitatem, & eius patiētiam, & verecundiam ac venustatem. Non enim erat ille lingua verbosus, aut mente elatus: erat autem humilis, prudens, & beneuolus, vti talem esse decebat. Postea dixit Rex. O Moriēne, nōne esset tibi melius cum conuentibus qui Deum orant, in ecclesiis consistere, quam solus in montibus & eorum solitudinibus habitare? At Morienus dixit. Bene habeas mi Rex: Bonum quod nūc habeo, & in futuro expecto, ex Deo est, & in eius manu collocatū. Ipse autem quod
velit

velit faciat. Nec ego dubito, quin mihi inter conuentus, & cœtus maior inueniatur requies, & in solitudinibus, & montibus labor, sed nemo metit, nisi qui seminat: Et quod seminauerit, hoc etiam metet. Spero itaque quod diuinitatis bonitas, in vita huius mundi me nō derelinquat: nam requiei aditus nimis est coarctatus, neque ad illam quisquam potest ingredi, nisi per animæ afflictionem. Dixit ergo Rex. Omnia quidem quæ dicis, indubitanter vera sunt: * Sed quæ ex fideli procedūt animo, * al. si de pe
lore in deo
credēti pro
cederēt. hoc
autē & c. falsa videntur. Hoc autem dicebat Rex, quoniam adhuc cultor idolorum erat. Respōdit autem Morienus. Si ea quæ profero, tu vera esse concedis, animum, à quo illa p̄cedunt, te verum esse & veridicum concedere necesse est. Nam ex veris, & vera procedūt, & ex falsis, falsa, ex æternis, æterna, ex transitoriis, transitoria, ex bonis, bona, & ex malis, mala. Dixit itaque Rex. O Moriene, multa quidem mihi de te & tua constantia, & tua fide, sunt relata: unde vehemēter admiror, cum & illa videam & audiam iam esse vera. Hæc itaque fuit

causa, quare multum & te videre, simulque audire diu exoptaram. Volo nãque vt inter quædam (de quibus erimus tractaturi) me quibusdam aliis quasi documentis instruas, simulque edoceas. Tũc dixit illi Morienus. O Rex, omnipotens Deus te ad melius conuertat: Nam ego non sum de quo multũ debeas admirari. Ex filiis Adæ vnus existo. Omnes quidẽ ex vno processimus, & iterum ad vnum, licet diuerso tramite, reuertemur. Temporũ quidem longa mutatio, hominem sub tempore constitutum confundit, & mutat. Nec ego adhuc intantum sum mutatus, quod alij multi, qui ante me fuerunt, magis non mutantur. Vltimam autem mutationem, mors dira subsequitur, qua videlicet nulla pœna deterior iudicatur. Nam ante corporis & animæ coniunctionem, & post eorum dissolutionẽ, pœna omni morte crudelior animam expectat. Sed & omnipotens creator, qui omnia ex seipso creat & format, semper sit in nostro auxilio. Tũc dixit illi Rex. O Moriene, ex his quæ modo dicebas, video quod tu existimes me tevelle deridere.

Iuxta

Iuxta ergo hanc opinionem, licet senex & prudens videaris, potius es deridendus quã laudandus. Posthæc aduocauit me Rex, & dixit mihi: O Galip serue bone, vade & quære huic homini domum intus, scilicet & pulchram & multo ornamento ornatam, sitque vicina palatio: simul quæras & hominem suæ fidei professorem doctum scilicet & senem ac moribus ornatum, cuius dictis & monitu consoletur, & eius animus in pace resideat. Video enim illum quasi deterritum, & in me minimè confidentem. Feci igitur iuxta quod Rex mihi præcepit. Rex verò ad eum quotidie veniebat, & cum illo per horas aliquot residebat. Alloquebatur enim illum & confortabat, nihil tamen de suo magisterio eum interrogabat. Postquam autem inter illos magna notitia creuit, & amor, Morienus se Regi multum credidit, & in eo confidit. Interrogabat autem Rex, de Romanorum legibus, & vtrum secundum temporis clementum, eorum leges mutarentur: de Regum, & consulum consuetudine, nec non & Græcorum historiis simul in-

terro-

terrogabat. Et Morienus in his omnibus illi decenter respondebat. Dilexit igitur Rex Morienum, in tantum, in quantum antea neminem dilexerat. Factum est igitur, dum quadam die, in vnum fabularentur, quod Rex Morieno diceret, O senex sapientissime omnium, Scito quod ego diu à multis quæsiui magisterium Hermetis, sed neminem hactenus inuenire potui, qui rem eius veram mihi panderet. Ob hoc igitur in altera vice, quando tu à nostris finibus clam discessisti, postquam literas, quas circa vas, in quo positum fuerat magisterium, scripseras, legissem, & earum intellectum accepissem, omnibus, quos propter hanc scientiam mecum per annos multos retinueram, ilicò iussi capita amputari. Rogo igitur te ô senex bone, & omnium sapientissime, quatenus eius rationem veram, atque eius speciem, & substãtiam mihi edisseras, vt mea diuturna expectatio, gaudenter per te compleatur. Quod quidem si feceris, & me ipsum: & omnia quæ mecum possideo, acquires: & si libuerit, in tuam patriam, vna reuertemur. Nolo enim
amodo.

amodo te in me quoquomodo dubitare, neque tuo animo, vllum timorem ex vlla opinione conferas. Tũc Morienus respondit. O bone Rex & sapiens, Deus te conuertat ad melius: Nunc autem bene intelligo quapropter ad me misisti: indigebas enim me multum: & idcirco misisti. Ego autem ad te gaudenter adueni, vt & te hoc magisterium edoceam, & quæ sit mira Dei virtus, manifestè demonstrẽ. Timorem autem, de quo paulo ante dicebas, nõ timeo, nec de te hæctenus despero. Omnis enim qui timuerit, in veritate non est perfectus. Et maximè sapientem timere aliquid non decet. Nam si timuerit, cito desperabit: Quod si desperauerit, eius animus vacillabit: nec vllatenus suæ intẽtionis consequetur effectum. Et quoniã iam nunc intelligo te me nimio amore amplecti, video quæ te multum in tua inquisitione seuerum moribus esse, & actu pium, & patientem, non decet me diutius hoc magisterium tibi recondere, vel celare. Iam nũc ad tuum propositum, & tuam longam inquisitionem, facilius omnium peruenisti. Sit no-

men

men domini, per secula seculorum benedictum. Ad hæc ergo subrisit Rex, & ait: Nūc verò scio quod omnis homo cui non præest patientia, festinatione crudeli confunditur. Festinatio enim ex parte diaboli est. Ego autem * sum nepos Machoya, & filius Regis Gezid. Et non est aliqua fortitudo, nisi cum summo deo, qui vnus est altissimus. Dixit autem Morienus. O bone Rex, Deus ad melius te conuertat. Esto modo ad iudiciū huius magisterij, & scies illud bene, & intelliges. In illius verò introitu, & exitu, multum studere memento: quoniam omnia quæ illi pertinent, annuente domino, facilius consequeris.

Hæc enim res, quam iamdiu quæsiuisti, per vim aut iram non accipitur, nec perpetratur. Accipitur enim per patientiam, & humilitatem, & amorem certum, ac perfectissimum: Confert enim Deus hanc diuinam, & puram scientiam, suis fidelibus & seruis: illis scilicet quibus eam à primæua rerum natura conferre disposuit, sua mirabili fortitudine. Quæ quum alicui ex suis fidelibus collata fuerit, decet ipsum prius

* al. sum filius Motay sed antea tamen scriptū est hūc Gezid fuisse filium illius Macoya, siue Motay, & patrem Calidis.

Donū Dci.

prius præuidere, cui postea eam committat & detegat. Nam hæc res nihil iudicari, nisi donum Dei altissimi potest: qui prout vult, & etiam cui vult, ex suis seruis & fidelibus illud committit, & monstrat. Decet igitur eos, quibus hoc donum committitur, omnipotenti Deo esse in omnibus humiles, & omnino subiectos. Tunc Rex ait: nos quidem verè scimus & cognoscimus, quoniam nulla est rerū perfectio, absque diuinitatis auxilio, & eius demonstratio-
ne. Ipse enim est altissimus & impermutabilis. Postea aduocauit me Rex, & mihi dixit: O Galip serue bone, sede cito, & tuo stilo omnia, de quibus à modo ad inuicem tractabimus, memoriæ commenda. Tunc dixit Morienus. Omnipotēs dominus, & omnium creator, ex omnipotentia sua seruos impotētes creauit: quoniam ipsi nequeunt eius ordinem transmutare: id est nequeunt postponere ea, quæ ipse præponit, aut præponere ea quæ ipse postponit. Nec est aliquid scire possibile illis, nisi per illius demonstrationem: nec etiam aliquid consequi poterūt, nisi ille eos con-

D sequi

sequi illud præiudicauerit: Nec quicquam retinere valebunt, nisi per fortitudinem à summo Deo sibi diuinitus collatam. Sed & (vnde magis est admirandum) animos suos etiam ipsi regere non possunt diutius, nisi vsque ad terminum, qui à Deo super eos constitutus est. Præponit enim dominus ex suis seruis quos vult, & eligit, vt hęc scientiam diuinã à Deo sibi delatam quærant, & quæsitam secum retineant.

Hęc enim scientia est, quæ dominum suum abstrahit ab huius mundi miseria, & ad scientiam bonorum futurorum reducit. In temporibus ver præteritis, semper vnus post alium hanc sapientiam sibi hæreditabant: & post ista scientia ferè fuit anullata. Sed libri multi veterum diuinorum remanserunt, in quibus illa continetur tota vera, & sine mendacio: nec tamen quisque inueniebatur, qui videlicet ipsam tunc ad effectum perduceret: propter nomina multa & diuersa, quæ rebus ei attinentibus à sapientibus antiquioribus iam dudum fuerant imposita. Sed ego huius rei veritatem, vt olim tu cognouisti,

per-

Obscuritatis causa.

perfectè retineo. Nostri quidem antecessores, huius magisterij nomina multiplicata & variata tradebant, grauisimis scientiis circumtectâ, sed omnia tamen veridica & sæpius comprobata. Quod totum egisse arbitramur, propter stultorum insipientiam: vt dicta sua non intelligerent, nisi qui tali & tanto magisterio digni iudicarentur. Si quis ergo eorum dicta inuenit, in illis diligenter studeat, donec ea recto modo intelligat. Non enim decet quẽquam, se ab hoc magisterio retrahere: sed debet suam fidem, & suã spem in Deo altissimo firmiter configere, & illum incessanter ad hoc efflagitare, quatinus istud diuinum & admirabile opus possit perpetrare. Similiter deũ omnipotentem, & eius auxiliũ implorare, vt cum Deus ad res meliores pulchriori modo conuertat, & faciat illum huius magisterij scientiam super lineam rectam absque omni deuiatione fœliciter adipisci. Tunc rex ait, iam si libet ô Moriene, hæc dicta atque mandata dici sufficiant. Ego enim illa bene retineo, & retenta pro posse obseruabo: & maximè

D ij quum

quum tu senex & sapiēs, hoc magisterium mihi propalare non negligas. Ex plana igitur mihi hoc quod diu exopto, explanatione facilima: ne eius studij grauitas in hac re me diu confuudat. In primis igitur ab eius exordio mihi eam edifferas & dicas, vt omnis ordo præposterus, procul à nostra disputatione abiiciatur. Ad hæc Morienus respondit. Rem quidem ex ordine digestam tibi edicam. Tu verò ea quæ velis à modo inquirere non differas.

INCIPIUNT INTERRO-
gationes Regis Calid, & responsiones
Moriēni, de omnibus de quibus tota
efficacia magisterij Hermetis con-
stare comprobatur.

CALID Rex. O Moriēne, primum
quærere libet, quæ & qualis sit huius-
modi rei principalis substantia & materia:
& vtrum multæ aut plures sint, aut ex vna
tantummodo conficiatur. MORIENVS.
Omnis autem res, vsque dum per suum ef-
fectum dignoscatur, multorum testimo-
nio

nio verior comprobatur. Sed antequam antiquiora testimonia tibi in præfens educam, hoc quod nos de eius principali substantia & materia sæpe comprobauimus, explicabo. Si autem ea quæ tibi dixero, & testimonia antiquorum rectè inspexeris, bene aperte cognosces, nos omnes in vno conuenire, & omnia quæ dicimus, vera proferre. Quod igitur interrogasti, sic accipe. Huius rei prima & principalis substantia & materia est vna, & de ea est vnum & cum ea fit, neque aliquid sibi additur vel minuitur. Ecce iam habes quod interrogasti. Nunc verò testimonia antiquorum tibi educam, vt omnes in vnum concordare iudicemur. HERCVLES verò quidam Rex sapiens & Philosophus, quum à quibusdam suorum interrogaretur, dixit. Hoc autem magisterium ex vna primum radice procedit, quæ postmodum in plures res expanditur, & iterum ad vnum reuertitur: Et scito fore necesse recipere aerem.

ARSICANVS* quoque philosophus ait, ^{* al. Arsi-} quatuor autem elementa, id est, calor, fri-
 gus, humiditas, & siccitas, ex vno fonte pro-
 cedunt.

D iij cedunt

cedunt, & eorum quædam ex iisdem conficiuntur. Ex his verò quatuor quædã sunt quasi radices: & quædam quasi ex his radicibus composita. Quæ verò sunt radices, sunt aqua & ignis: quæ verò ex his composita, terra & aer. Item **A R S I C A N V S*** ad **M A R I A M**. Nostra, inquit, aqua* super nostram terram habet superamen, quæ est magna*, lucida, & pura. Nam & de grossitiæ aquæ terra concreatur. **H E R M E S*** quoque ait: **T E R R A** est mater elementorum: de terra procedunt, & ad terram reuertuntur. **Hermes** iterum ait: Quomodo omnia ex vno procedunt, sic meum magisterium ex vna fit substantia, & materia. Et quomodo elementa quatuor, in corpore humano continentur, sic Deus creauit illa sita & distincta, & coniuncta, collecta quoque ac per totum corpus diffusa: quoniam vnum corpus illa coniungit, & in vnum retinet, & tamen vnumquodque illorum efficit opus ab opere alterius dissimile. Et licet in vno sint corpore, tamen diuersum habent colorem & diuersum dominium. Eodem igitur modo de hoc magisterio intelligendum

* al. Arsi-
tanus.

* al. Azone

* al. magis

* al. Ut di-

xit alius. i.

Moyse, qd

omnia de

terra proce-

dunt & ad

eam reuer-

tuntur, &

dixit Her-

mes. sicut

omnia ex

vno, &c.

dum est. Multa quoque huiusmodi testimonia, philosophi de hoc magisterio dixêre: quorum quædam in sequentibus dicemus. REX CALID. Quo modo, & qua ratione fieri potest, quod huius magisterii vna sit radix & vna substantia & vna materia, quum apud Philosophos eius radicis nomina multa, & multiplicata inueniantur? MORIENS. Multiplicata quidem sunt eius radicis nomina, sed si ea quæ supradicta sunt, recto ordine inspexeris, vnam eius radicem & substantiam & materiã inuenies. Quod vt facilius accipias, adhuc quædam antiquorũ testimonia tibi referabo. REX CALID. Perfice, mihi narrando huius operis magisterium. MORIENS. Hercules quidem ad quosdam discipulorum dixit: Lapillus autem dactili, ex palma nutritur*, & palma ex suo lapillo, ex cuius etiam radice plurimi Ramuli crescunt, qui suum numerum multiplicant & augent propter eam. HERMES autem ait: Respice Rubeum completum, & Rubeum à sua rubedine diminutum, omnemque rubedinem: Cõsidera quoque citrinum

*al. Herbel

*al. pro-
creatur.

trinum

trinum completum, & citrinum à sua citrinitate diminutum, omnemque citrinitatem: & nigrum quoque completum, & nigrum à sua nigredine diminutum, omnemque nigredinem. Similiter spica ex grano procedit & multi Ramuli ex vna arbore exeunt, licet arbor à suo germine ortum assumat. Quidam quoque homo sapiens, qui propter Deum, totum mundum dimiserat, exemplum consimile nobis adducit. Ait enim, Prima hominis creatio, est sperma, & de vno grauo centum graua procreantur, & de germine magna concrefcit arbor, & de vno homine similiter mulier extrahitur, ex quibus sæpe multi filij & filix in colore & aspectu, vel apparentia nascuntur dissimiles. Iterum idem sapiens dicit. Considera sartorem, qui scilicet vestes suere consuevit, quoniam de panno interulam, siue vestem quamlibet aliam componit, cuius scilicet partes, diuersa nomina sortiuntur, quæ etiam si naturaliter considerentur, ex ipso panno formata inuenientur. Nam torale, & manica, & girones, licet, quantum ad vestis partes,

tes,

tes, diuersa habeant nomina, tamen principalis eorum materia est pannus. Nam & de ipso panno fila, quibus partes ipsius vestis in vnum iungantur, extrahuntur, non quod ipse pannus alio à se diuerso ad hoc indigeat. Simili igitur modo, hoc magisterium est vnum per se existens, nec alio indiget. Quoniam apud philosophos hoc magisterium est tectum & absconsum, & ubicunque fuerit, mille nominibus nominatum. Est etiam sigillatum, neque nisi sapientibus apertum: quoniam sapiētes hoc magisterium multum quærunt, & quæsitum inueniunt, & inuentum simul amant & ornant: Stulti verò eum deridēt, & apud illos pro minimo, aut, quod verius, pro nihilo reputatur. Ignorant enim quid hoc sit: & hæc multa nomina sunt illa, quæ sapientes nominauerunt in lib. suis, quorum vnum est sperma, quod quando vertitur, in sanguinē mutatur: ac demum coagulatur, & fit quasi frustū carnis commixtum, & tali modo fit, donec vna altera creatura succedente hominem fieri necesse est. Ex his quoque nominibus, est aliquod nomen.

E vt

vt est palma, quemadmodum ex colore pomorū eius, atque ex colore naturarum eius, antequā ad suam perfectionem perueniant. Aliud quoque nomen est, vt arbor malorum granatorum: & veluti triticum, & lac, atque alia nomina quamplurima, quorum omnium est vna radix: sed secundum diuersos effectus, diuersos colores, diuersas naturas, nomina multa atque diuersa, ipsi rei imponunt, vt H E R I -

* *al. Alrai-* Z A R T F M * ait philosophus, Ego veritatem dico, quod nihil aliud huius magisterij actores in errores detrudit, nisi varietas & eius nominum multitudo: Sed si quis rectè cognouerit, quod hæc nomina nō sunt nisi colores in coniunctione apparentes, in huius magisterij via non deuiabit. R F X

C A L I D. Multum autem intellegere desidero, vtrum isti colores, de quibus paulo ante dicebas, eos scilicet de vno in aliud mutari, in vna dispositione vel cōfectione, vel in duabus, seu pluribus sic mutantur.

M O R I E N V S. In vna sola cōfectione vel specie, sic materia mutatur: Sed quanto magis ei ignis colorem innouat, tãto magis ei pluri-

plurima nomina imponuntur: vnde DAV-
 TIN* philosophus ait ad EVTICEN. Ego ^{* al. Rosi-}
 tibi ostēdam, quod sapientes huius magi- ^{nus ad Eu-}
 sterij dispositiones vel cōfectiones alia de ^{thesiam ait.}
 causa non multiplicauerunt, nisi vt sapien-
 tes hoc magisterio instruerent, & insipien-
 tes penitus excæcarent. Quoniam hoc ma-
 gisterium vnum nomen habet & hoc pro-
 prium sibi deputatur: sic etiam vnam ha-
 bet dispositionem, atque etiā vnam viam
 linearem. & hoc modo, licet sapientes eius
 nomina & sua dicta mutarunt, tamen no-
 luerunt nisi rem vnam intelligere, & vnam
 viam, & vnam dispositionem. Sufficiat igitur
 tibi ô bone Rex, de huiusmodi hacten-
 us inquirere ac perscrutari. Nam sapien-
 tes qui ante nos fuerunt, multas nomina-
 uerunt confectiones, & multa pondera &
 multos colores: & sic super vulgus dicta
 sua allegorizauerunt: neque tamen sunt
 mentiti, sed loquuti sunt secundum quod
 eis bonum videbatur, & secundum quod
 ad inuicem intelligebant, vt etiā hoc alios
 lateret. REX CALID. De eius natura at-
 que substantia tibi iam dixisse sufficiat.

E ij Nunc

Nunc verò de eius colore mihi manifestè ediffere: quia nolo vt sub allegoria aut similitudine aliquid mecum inde conferras. MORIENS. Mos autem erat sapientum, quod suum assos de eo & cum eo semper faciebant. Assos arabicè, alumen interpretatur Latinè. Sed & hoc faciebant, antequam aliquid cum eo tingerent. O bone Rex, sufficiunt tibi hæc quæ ego profero: an ad antiquiora reuertemur testimonia? Quod si exēplum desideras, dicta DANTI philosophi sic accipe. Ait enim: noster quidem LATO, quamuis primum sit Rubeus, tamen est inutilis: sed si post * Rube-
 dinem in album vertatur, multum valebit. Ob hoc itaque idem DANTI dicit ad Euticem: O EUTICE ista restent sic firma & omnino bene credita: nam sapientes de hoc sic dixerunt. Iam abstulimus nigredinem & * cum sale & anatron, id est sale natri, & almizadir, cuius complexio est frigida & sicca, fiximus albedinem: quare ei hoc nomen imponimus BORREZA, quod arabice tincar dicitur. Dictū autē DANTI philosophi, per dictū Hermetis comprobatur.

Assos.

* al. & propter hoc dixit Rosinus ad Euthe-
 siam.

* Al. fecimus albedinem cum sale & anatron.

* Id est, sal-
 natura, ut
 quidam in-
 terpreta-
 tur.

batur. Dicit autem HERMES: In primis est nigredo: postea cum sale anatrō sequitur albedo, & in primis fuit Rubeum, & in vltimis album, & sic sua nigredo omnino aufertur, ac demum vertitur in ruborem lucidum & nimis clarum. M A R I A quoque dicit. Quando autē Laton cum allzebric. i. sulphure cōburitur, & mollicies super eum funditur, ita vt feruor illius tollatur, tūc omnis eius obscuritas atque nigredo, ab illo aufertur, & sic in aurū purissimum conuertitur. Item Dauti philosophus ait: Si autem Laton cum sulphure comburatur, & mollicies super eum frequenter fundatur, eius natura de bono in melius auxilio Dei conuertetur. Alius quoque dicit. Quando autem purum laton tamdiu decoquitur, donec veluti oculi piscium elucescat, eius vtilitas expectanda erit. Et tūc scito, quod ille ad suam naturam atque colorem reuertetur. Et alius similiter dicit, quod quāto magis aliquid abluitur, tanto magis limpidius hoc & melius apparebit: Quod si ablutum nō fuerit, limpidum non apparebit, neque ad suum colorem reuert-

Maria soror Moysis, quam aliqui ferunt inuenisse balneum quod dicitur Mariæ.

tetur. Et item Maria dicit: nihil est, quod à latone suam obscuritatē, vel suum possit auferre colorem. Sed Azoc* est quasi suum tegumētum. Primum videlicet quādo decoquitur: nam & eum colorat & album reddit: ac iterum dominatur laton Azoc, id est, vinum, vel Rubecum reddit. Alius quoque philosophus ait. Dicit enim quod Azoc nequit substantialiter latoni suum auferre colorē, vel eum mutare, nisi quantū ad visum, seu laton ab Azoc, suam auferre substantialē albedinem: quoniam inest ei mirabilis fortitudo, quę super omnes colores apparet.* Nam ex quo colores abluuntur, & sua nigredo atque immunditia aufertur, ita quod album appareat, laton quidē azoc dominatur, & eum reddit rubicundum. DAVTIM quoque philosophus ait, quod omnis res, non est nisi de eo & cum eo: & quod omnis tinctura, à suo consimili procedit. Adarmath* similiter sapiēs & philosophus ait: Quod omnia harum rerum nomina, & earum similitudines, nulla alia dicta ab antiquis negantur, neque variantur, nisi vt vos intelligatis

* id est, vt quidam interpretatur, ar. vi. scilicet aqua latonis.

* al. Quę facit omnes colores apparere.

* al. Bausin.

* Andarmach.

gatis, quod huius rei principiū super suum finem testificatur, & suus finis, super suum principium. Et vt sciatis quod hoc totum non est nisi vna res, quæ scilicet habet patrem & matrem: & eius pater & mater eam nutriunt, atque pascunt, non quod ipsa à suo patre aut matre aliquo modo differre possit. Euticen.* quoque dicit: Quomodo potest fieri, quod species à suo genere tingatur? D A V T I N* quoque philosophus similiter dicit: vnde est quidem quod ex eo processit, & in eum reuertetur. R E X C A L I D. Haftenus & de huiusmodi lapidis natura, & eius colore satis disputauimus: Nunc verò de illius naturali compositione, eius tactu & nec non & illius pondere & gustu, differamus. M O R I E N V S. Tactus autem huius lapidis, mollis est: & maior mollicies est in eo, quàm in suo corpore. Ponderus verò illius multum est graue: & eius gustus dulcissimus: & eius natura aërea*. R E X C A L I D. Quis est ergo suus odor ante & post suam confectionem? M O R I E N V S. Ante confectionem nimis est grauis & foetidus: & post confectionem iuxta

* Al. Euthesia.

* Bauusin.

* al. acris.

iuxta hoc quod sapiens dicit . Ista quidem aqua à corpore mortuo & iam inanimato tollit odorem . Nam & eius odor est malus, & odori sepulchrorum assimilatur : vnde etiam ait sapiens . Quicumque animã dealbauerit , & cam sursum ascendere fecerit, & corpus bene custodierit , & ab eo omnem obscuritatem abstulerit , & odorem malum ab illo extraxerit , ipsam in corpus ponere poterit . Et in hora coniunctionis maxima miracula apparebunt . Vnde quidam philosophorum , dum coram Maria simul conuenissent , ad illã dixerunt . Beata es Maria , quoniam diuinum secretum occultum & semper ornatũ tibi reuelatum est . R E X C A L I D . Expone mihi naturas mutantas , * id est , quomodo id quod est inferius , superius , ascendit , & qua ratione , & hoc quod superius , inferius descendit : & qualiter vnum eorũ alteri coniungitur , ita quod ad inuicem misceantur . Quid etiam sit hoc quod ea faciat misceri : quomodo etiã veniat aqua benedicta , ipsa ad aquare & rigare , & à suo odore fœtido mundare . Hic enim est odor , qui assimilatur odori
sepul-

* *Al. mutantas.*

sepulchrorum, in quibus etiam mortui se-
 peliuntur. MORIENS. Ista quidem res
 est de qua merito nitet philosophus AZI-
 NABAM. * Ait enim Osizanbe, quibus no-
 minibus potest hæc res naturaliter appel-
 lari? At ille dicit, naturaliter hæc res vlphi*
 id est, animal appellatur. Et postea fit eius
 odor suavis & bonus, nec remanet in eo
 quicquam obscuritatis neque foetoris.

REFX CALID. Hæc à modo de huius-
 modi communi inquisitione nobis suffi-
 ciant. Nunc autem quærere libet, vtrum
 hæc res multum vilis, an cara inueniatur?
 Tu ergo inde mihi verum respondeas.

MORIFENS. Vide quid dixerit sapiens,
 quod videlicet hoc magisterium ex vna
 sola re fieri consuevit. Hoc igitur tuo ani-
 mo adhibeas, & tecum inde conferas: ne-
 que sit aliquid quod tibi in hoc contradi-
 cat. Scito igitur quod sulphur * zarnet, id
 est, auripigmentum citò comburitur, & à
 combustione cito consumitur: Sed Azoc
 diutius sustinet combustionem: Omnes e-
 nim species citius * igni applicatæ consu-
 muntur. Quomodo ergo expectabis bo-

* Al. Mar-
 coni.
 * Al. vffi,
 tuffi.

* Al. sul-
 phur, &
 auripigme-
 tum com-
 buruntur,
 & combu-
 stione non
 durat diu:
 & azone
 semper diu-
 tius in com-
 bustione du-
 rat, & c.
 * Al. citò.

num ab eo quod cito ab ignis cōbustione consumitur, & ab igne comburitur, & in carbonem redigitur? Hoc etiam te scire conuenit, quod in illis neque gramen vel lapis huic magisterio conuenit. Sed considera si poteris rem puram atque mundissimam rectè dirigere: sin autem tua opera inefficax cesset. Sapientes autem disposuerunt, & dixerunt, quod si hoc quod quæris in sterquilinio inueneris, illud accipe: si verò in sterquilinio non inueneris, tolle manum à marsupio. Omnis enim res quæ magno emitur precio, in huiusmodi artificio mendax, & inutilis reperitur. Hæc igitur expositio, in hoc loco tibi sufficiat. Sed caue ne in hoc magisterio quicquam expendas: quoniam postquam completum fuerit, expèditio non indigebis. Vnde Danti * philosophus ait. Ego autem tibi comendo, ne in specierum ponderibus quicquam expendas, & maximè in auri magisterio. Item ait: quicumque ad hoc magisterium aliud ab hoc lapide quæsiuerit, assimilabitur viro per scalam absque gradibus nitenti ascendere, quod quum nequiverit,

* Al Dau.
sin.

uerit, super suam faciem pronus in terram decidit. REX CALID. Hoc quod tu dicis est ne rarum, aut multum de eo inuenitur? MORIENSVS. Non est hoc nisi, sicut sapiens dicit, ad diuitem * scilicet & pauperem, & ad largum & ad auarum, euntem quoque & sedentem. Nam hoc in viis proiicitur, & in sterquiliniis suis calcatur, & multi iam in sterquiliniis foderunt, vt hoc ab eis extraherent, & in hoc decepti sunt: Sed sapientes ipsam rem cognouerunt, & eam rem vnam sæpius probauère: quæ scilicet in se continet quatuor elemēta & illis dominatur. REX CALID.

Quo in loco vel in qua minera quæritur hæc res, donec inueniatur? Ad hoc MORIENSVS obmutuit, & fronte demissa, diu cogitauit quid regi posset respōdere: tandem erexit se, & dixit: O Rex verum tibi cōfiteor quod hæc res * diuino nutu in sua creatione magis configitur. Omnis enim qui à deo creatur, sine ea persistere nō potest. REX CALID. Explanandum est hoc quod dixisti. MORIENSVS ait. Discipuli autem HERCVLIS * ipsum interro-

F ij gauerunt

*Dius; est spua elatae
vritutis, et aia ruy.
Zocamp. e: terra dep. pulata
Zargus: pnd seu aqua
qui lab diffunditur.
Auarus; tunc igne non
Largus est sua virtute
* sed ad. uag. latira, nisi
pau. latirij, .it p. mi. ni.
ty longo + tunc vna
Zambly: id est spua gri
spua, et des. h. u. d. u.
Zed. G. u. d. : p. l. p. t. u. r. a. y
p. e. y. p. p. u. d. o. v. u. a. u. d. u. s.
h. t. u. g. a. t. u. r. e. l. B. h. u. d. u. s.
p. r. y.*

* Al. Quæ
magis in te
fixa à Deo
creatur &
vbicunque
fueris sem-
per tecum
inseparata
manet: &
omnis à deo
creatus, à
quo hæc
res separa-
tur, statim
moritur.

* Al. Her-
lzel. gauerunt & dixerunt. O bone magister,
sapientes qui ante nos fuerunt, libros de
hoc magisterio expositos, suis filiis & di-
scipulis dimiserunt: Præcamur te magister,
quatinus huius magisterij expositione nobis
non taceas, sed hoc quod ab antiquis
quasi obscurum relinquitur, nobis propa-
lare non differas. At ille dixit: O filij sã-
pientiæ, scitote quod Deus creator altissi-
mus benedictus, mundum ex quatuor ele-
mentis dissimilibus creauit, posuitque ho-
minem inter ipsa elementa maius orna-
mentum. REX CALID. Adiunge mihi
adhuc super hoc (quod modo dixisti) ex-
planationem. MORIENS. Quid tibi
multa referam? Hæc enim res à te extrahi-
tur: cuius etiam minera tu existis. apud te
namque illam inueniunt, & vt verius con-
fitear à te accipiunt: quod quum proba-
ueris, amor eius & dilectio in te augebitur.
Et scias hoc verum & indubitabile per-
manere. REX CALID. Nouisti ne vn-
quam alium lapidem qui scilicet huic la-
pidi assimiletur, & cuius effectum & poten-
tia, hoc idem possit perpetrari? MORIENS.

N V S. Non noui ego alium lapidem qui huic lapidi assimiletur, neque qui illius habeat effectum. In hoc enim lapide quatuor continentur elementa: assimilatúrque mundo, & mūdi compositioni. neque in mundo alius lapis inuenitur qui huic assimiletur, in creatura scilicet vel natura. Quicumque igitur alium lapidem ad hoc magisterium quæsierit, eius opera omnino frustrabitur. Adhūc etiam est tibi aliquid addiscendum, scilicet huius magisterij principium. Nam & ego ab omni errore te auferam. Vide ergo ne hanc radicem prætereas, neque aliquando quæras eius mutationes: quoniam proficuum neque bonum tibi quæsitum poteris inuenire. Item te moneo, vt ea quæ dicta sunt superius, penitus obserues. REX CALID.

O Moriene, mihi modo ediffere qualitatem huius dispositionis. Deus enim in nostro iam erit auxilio. M O R I F N V S.

Ego eam tibi dicam, secundum quod ab antiquis est mihi traditum: Bene enim interrogas. In directione igitur huius confectionis, has dispositionis partes in suo

F iij ordine

ordine rationabiliter constituas, & nullatenus prætermittas. Prima earum est coitus: secunda est conceptio: tertia prægnatio: quarta, ortus: quinta, nutrimentum. Si non fuerit igitur coitus, non erit conceptio, & si non fuerit conceptio, non erit prægnatio: & si non fuerit prægnatio, ortus vllò modo non sequetur. Hæc est enim huius dispositionis directio, quæ scilicet hominis creationi assimilatur. Omnipotens enim creator altissimus, magnus, cuius nomen semper sit benedictum, creauit hominẽ, non ex partibus constitutiuis, vt est domus, quæ ex suis partibus constat constitutiuis: Non est enim res quæ homini esse constituat. Domus autem constat ex suis partibus constitutiuis: vt est paries, tectum, & fundamẽtum: Hæc enim sunt partes domus, & res inuentæ dicuntur. Homo verò non sic constat: quoniam creatura est. Nam & homo, ex quo mutatur eius essentia, de re ad rem meliorem transire videtur: & sic semper persistit homo in creatione, qui à rebus inuentis multum distare videtur: & sic procedit de die
in diem

in diem & de mense in mēsem, vsque dum creator altissimus magnus, suam compleat creaturam, in tempore scilicet certo, in diebus diffinitis. Quia licet quatuor elementa prius in spermate fuissent, creator tamen Deus, posuit illius tempus diffinitum, in quo scilicet compleatur: quod quum finitum fuerit, firmantur, & ipsa. Talis enim est fortitudo & sapientia Dei altissimi. Scire etiam tibi cōuenit, ô bone Rex, quod hoc magisterium nihil aliud est nisi arcanum & secretum secretorum Dei altissimi, & magni. Ipse enim hoc secretum suis prophetis commēdauit: quorum scilicet animas, in suo paradiso collocauit. Si autem sapientes qui post illos fuerunt, suas expositiones de qualitate vasis in quo conficitur non inuenissent, nunquā ad huius magisterij perfectionem peruenissent. Ergo hæc tuæ commenda memoriæ. Ostendi namque superius, quod hoc magisterium non multum distat ab hominis creatione: nūc quoque tibi dico, quod nunquam fuit animatum. aliquid aut na- ^{Putredo.} tiuitate creatum, neque crescens, nisi post
putre-

putredinem, & eius mutationem. Vnde ait sapiens, quod tota fortitudo huius magisterij, non est nisi post putredinem. Ait enim, si putridum nõ fuerit, fundi aut solui non poterit: & si solutum non fuerit, ad nihilum reuertetur. REX CALID.

Quidnam erit hoc post putredinem?

MORIENS. Post putredinem verò ad hoc deueniet cum quo omnipotens Deus, & omniũ creator altissimus magnus, perficiet quæsitam compositionem. Scito itaque quod istud magisterium, binis indiget creationibus, atque binis confectionibus: quæ ita ad inuicem sunt connexæ, quod quãdo vna earum perficitur, altera earum tunc incipitur: & quando altera perficitur, totum magisterium terminatur. REX

CALID. Quonam modo indiget hoc magisterium binis creationibus, atque binis confectionibus, quum antea dixisses eius rem, ac eius viam vnã & linearem persistere? MORIENS. Verum est hoc quod dixi: nam totum hoc magisterium ex re vna, & via vna constat. Eius namque vna dispositio talis est, qualis & altera.

REX CALID. Quænam est igitur illa dispositio, cum qua paulo ante dixisti totum posse perfici magisterium? MORIENS. O Rex bone, Deus ad melius te conuertat. Hæc est illa dispositio, quæ scilicet manibus perfici non potest. De illius namque difficultate, quam plures sapientes quaesti sunt. Dixerunt namque: Si quis per suam scientiam, dispositionem hanc inuenit, facile totum magisterium, sua scientia perpetrabit: Qui verò illam per suam scientiam non inuenit, totum magisterium illum latebit. REX CALID. Quænam est igitur hæc admirabilis dispositio?

MORIENS. Si sapientum dicta diligenter inspexeris, facile illam scire poteris: de ipsa namque dixerunt. Hæc namque dispositio est naturarum mutatio: & earum naturarum calidi & humidum, cum frigido & sicco, subtili dispositione admirabilis commixtio. REX CALID. Quum hæc dispositio hominum non fiat manibus, quænam igitur est res ipsa, cum qua perfici possit? MORIENS. Hæc autem dispositio fit iuxta quod ait sapiens,

G qui

qui dicit, quod Azoc & ignis, Latonem abluunt atque mundificant, & eius obscuritatem ab eo penitus eripiunt. Nam & sapiens ait . Si rectè ignis modum disposueris, Azoc & ignis in hac dispositione, dante Deo, tibi sufficient. Vnde Albo interfecto ait: Dealbate latonem, & libros rumpite, ne corda vestra corrumpantur. REX CALID. Hæc autem dispositio, est ante, vel post putredinem? MORIENS. Dispositio putredinem præcedit: sed talis dispositio nulla penitus est. REX CALID.

Quidnam est ergo? MORIENS. Tota operatio nostra, non est aliud nisi extractio aquæ à terra, & huius aquæ super terram dimissio, donec ipsa terra putrescat. Hæc enim terra cū aqua putrescit, & mundificatur: quæ quum mundata fuerit, auxilio diuinitatis totum magisterium dirigitur. Hæc est enim sapientum dispositio, quæ est tertia pars totius magisterij. Hoc etiam te scire cōuenit, quod si corpus immundum perfectè non mundaueris, & illud non desiccaueris, neque ipsum bene dealbatum reddideris, & in illud animam

non

non miseris, & eius omnem fœtorem non abstuleris, donec post suam mundificationem tinctura in illud decidat, nihil penitus huius magisterij direxisti. Hoc quoque te scire decet, quod anima citò corpus suum ingreditur, quæ cum corpore alieno nullatenus coniungitur. REX CALID. Creator, in nostro semper sit auxilio. Tu verò secundam dispositionem mihi ediffere: vtrum scilicet illa sit finis prioris dispositionis. MORIENS. Ita est vt dicis. Nam quando corpus immundum, secundum quod iam dictum est, direxeris, mitte in eo postea de fermento quartam sui partem. Fermentum enim auri, aurum est: sicut panis fermentum panis est. quod quum in eum miseris, depone eum in sole ad decoquendum, donec hæc duo in vnum corpus redigantur. Inde verò sub Dei benedictione eum abluere incipias. Ad illius ergo ablutionem, partem vnam de re mortifera accipias, quã videlicet per tres dies decoquas: & caue ne de suis diebus aliquem aut obliuiscaris, aut minuas. Eius quoq; ignis indefinenter æqualiter ardeat:

Ignis.

ita scilicet quod neque inualeſcat, neque debilior exiſtat. Sit ergo eius ignis blandus & mitis, qui per ſuos dies ardendo æqualis perduret: Sin autem maximum ſequetur damnum. Poſt xvii. noctes, vas in quo hæc omnia coquuntur viſites, & aquam quam in eo inuenies extrahas, & alteram ei imponas: quod ſcilicet tribus vicibus agendū eſt. Vas autem prædictum, fornaci ſuæ ſemper immobiliter adhæreat, donec totum tempus fermentationis auri compleatur, & donec* ad octauā partem ſuæ tincturæ dirigatur. quod quum poſt xx. noctes extractum ſit, deinde bene deſiccatum fuerit, Arabicè hoc vexir*, nuncupatur. Inde verò corpus ablutum & præparatum accipias, & ſuper fornacem artiſcioſè eum adaptes: vt ibi in ſuo vaſe, quotidie cum quarta parte rei mortiferæ, quam ſcilicet tunc tecum habeas, irrigetur, cauendo etiam ne flamma ignis præfatum vas attingat: nam in damnum omnia verterentur. His igitur omnibus editis, prædictum vas in fornace magna artiſcioſè locetur, & ignis ſuper os eius accendatur:

* Alias. Ad
medietatē
quarta ſua
coſtura re-
digatur.
* Al. Acir.

cendatur : qui scilicet duobus diebus , ac totidem noctibus, ibidem æqualis sine augmento aut sui diminutione, ardeat. quibus omnibus expletis, à fornace, cum omnibus quæ in eo sunt, tollatur : quoniam auxilio Dei expleta est artis iteratio. R F X C A L.

Hoc modo quod tu dicis, & nos similiter agemus: sitque nomen domini benedictum. M O R I E N V S. O Rex bone, scire etiam te oportet, quod omnis huius magisterij perfectio, in captura corporũ coniuñtorum, & concordantium constat.

Nã & hæc corpora naturali artificio, substantialiter ad inuicẽ coniungũtur, & concordant & funduntur, & etiam ad inuicem recipiuntur. Nam semetipsa ad inuicem emendant & dirigunt, vt super fortitudine ignis, pulchriora appareant. Ex quo enim inquisitor sapientiæ, horum corporum capturam & eorũ decantationem eorumque solutionem atque dispositionem necessariam, & eorum mixtionem atque decoctionem, perfectè cognouerit, Sciat postea eorum ignis quãtitatem, & suæ fornacis constitutionem, & sui ignis accen-

G iij sionem,

sionem, in quo scilicet loco fornacis ac-
 cendi debeat ignis, numerum quoque die-
 rum suorum, & eorum ponderum men-
 suram. Nam si hæc omnia prouidentia &
 ratione tractauerit, auxilio diuinitatis im-
 pleta erit eius intentio. Omnis igitur festi-
 natio procul ab ipso artifice pellatur, &
 prouidentia, & ratio, & firma expectatio
 adhibeatur. Quod autē hæc corpora ma-
 xime coaptat sanguis est: nam illa * viuifi-
 cat atque coniungit, & ex istis omnibus
 vnum corpus efficit. Quapropter ignis
 blandus diutius apponi debet, qui in suis
 diebus semper duret æqualis. Nam calore
 ignis in corpore cito serpente, festina com-
 bustione ipsum corpus consumit. Nam si
 eudica* eis apponitur, ipsa corpora in ter-
 ram mutata, ab omni combustione cura-
 bit. Nam corpora postquam suas iam non
 retinent a nimas, cito comburuntur. Eu-
 dica quidē bene omnibus corporibus con-
 uenit: nam ea viuificat & aptat, & ab omni
 combustione defendit: immittit, namque
 quædam eorum in aliis, & ista simul post
 immissa à nimio calore post defendit. Et
 quando

*Al. Et ille.

Ignis.

*Id est, fex
vitri.

quando eudicam quærere volueris, in vitreis vasis eam quære: quam quum inueneris, eam reconde, neque quicquam cum ea facias vsque dum, id est, expecta donec acidum fiat, azima non existat: quoniam tua intentio penitus cassaretur. Terra quoque foetida, cito recipit albas scintillas, & vetat sanguinem, ne ille in decoctione damnetur: vis namque sanguinis & eius fortitudo nimis est magna: quamobrem sanguis est frangendus ne impediatur, aut proficiat: quæ quidem fractio, fiat postquam fuerit dealbatum, hoc quod de coloribus remansit, nigredinem occupat: coloribus inquam venarum * prius effusarum, ex nouo esse, quod quidem huic magisterio pertinet: in cuius initio veritatem non videris, est omnino fallax & inutile. Illud quoque huius magisterij secretum est: quod hic in vnum breuiter collegi, & collectum tibi exposui: quod videlicet huius rei pars vna, mille partes argenti, in aurum purissimum conuertit. Hæc ergo quæ iam dicta sunt, ad hoc magisterium tibi sufficiant. Sed adhuc restant quædam, sine quibus repelli non potest.

* Al. minerarum.

Sed

Sed & te scire cōuenit, quod intentio hominis hanc scientiam diuinam & puram quærentis, aliud arbitrari non decet, nisi donum Dei altissimi & magni, qui eam suis commendat, Cuius nomen semper sit benedictum. Sed & tu bone Rex, nunc totus sis mihi mente, vt audias & intelligas ea, quæ tibi à modo dicam. REX CALID. Dic vt libet: nam & erectis auribus tibi assisto præsens. MORIENVS.

Dicit de nominibus specierum. O bone Rex, etiam perfectissimè in primis te scire decet, quod fumus rubeus & fumus citrinus, & fumus albus, & leo-viridis, & *Al. Amal-gra.* Almagra*, & mortis immūditia, & limpidum, & sanguis, & eudica, & terra foetida, sunt ea in quibus tota huius magist. constat efficacia: quæ sine his, nullatenus rectè tractari potest. REX CALID. Explana mihi hæc nomina. MORIFNVS. In fine libri exponam ea: quoniam ad præsens de illis, quorum hæc nomina coram te magisterium conficiam, vt ea quæ iam diximus, per ipsius rei effectum comprobentur. Est enim hæc huius scientiæ radix, vt
scilicet

scilicet ille, qui eam dare voluerit, eius doctrinā prius à magistro suscipiat, & postea magister coram discipulo suo, eam frequenter pertractet. Sunt autem quidam, qui hanc scientiam in venis diu quærunt neque tamen illam inueniunt. Tu autem semper in his secundum quod me operari videbis, operare. Nec illud ab hoc in hoc magisterio quæras: quoniam si feceris, proculdubio errabis. Sunt autem multa huius scientiæ obstacula. Nam, vt ait sapiens, Multa distantia est inter sapientem, & insipientem, & inter cæcum, & videntem: neque enim ille, qui dispositionem huius magisterij, etiam probationē perfectè cognouit, est vt ille qui adhuc in eius inquisitione per libros persistit. Sunt namque libri sub figura de hac arte cōpositi, quorum pars maior, multum obscura videtur, ac scientia connexa, nec nisi à suis compositoribus potest intelligi. Sed hæc est sciētia quæ inter alias maximè inquiri debet, quum per illam, ad aliam magis admirabilem peruenire possimus. R E X

C A L I D. Omnia autem quæ profero
H vera

vera liquent, & eorum veritas in sua expositione florescit, & admirabiliter allucescit.

INCIPIT DISPOSITIO

sapiētum, ad aptationē corporis immundi*, antequā elixir* super illud nondum durum effectum ponatur, & antequam album efficiatur, & antequam anima in eo mittatur.

* Al. mundandi.

* Al. indurescas eum sic es & al. um facias per purgationem.

DICIT MORIENVS. Quoniam elixir nisi à corpore bene mundificato, neque foetido, vt eius tinctura quando super eum introiuit formosior appareat, nō recipitur. Et hæc prima dispositio est. Incipe ergo sub Dei auxilio, & primum fac vt fumus rubeus, fumum album capiat, ac deorsum ambos effunde ac coniunge, ita scilicet, vt in eorū commixtionē ex utroque, par pondus apponatur. Quibus commixtis, in vase spisso, iuxta mensuram ferè vnus libræ perfectè ponantur, cuius scilicet os, cum bitumine cōuenienter obtundatur. Sunt enim in eis venti, qui si infra

vas

vas detenti non fuerint, euadent, & sic magisterium anihilabitur. Bitumen verò sit illud, quod in libris philosophorum lutum appellatur. In quo videlicet ante conclusionem modicum salis apponas, vnde magis confirmetur, & ignis combustioni diutius posset resistere. Inde verò fornacem calefacias*, & ea iam calefacta, vas ^{* In alio exemplari additur, cū sercore oui no, vel cum folijs oliuarum.} prædictum, cum omnibus quæ in se continet in eo sublimetur: quæ scilicet sublimatio*, post solis occasum fiat, & ibi donec dies frigescat, dimittatur. Postea vas ipsum extrahas, & eum confringas. Quod si ^{* Al. subhumatio, & subhumeretur.} ea quæ intus posueras in vnum corpus admodum lapidis commixta inueneris, Accipe illud & tere bene atq; tatarisa*: quod ^{* Al. Caratantarisifa.} quum feceris, aliud vas cuius fundus sit rotundus accipe, & hoc iam bene tritum atque bene tantarisatum intus pone, & os vasis cum bitumine philosophorum vndique claudas: inde verò fornacem philosophorum construas, in qua ignem philosophicum more philosophorum accendas, qui etiam spatio xxi. dierum æqualis perduret exardando. Ignis verò philosophicus

sophicus talis est, quod eius materia bina partitione partitur. Aut enim eius materia ex stercore ouino erit cōposita, aut ex foliis oliuarū: nihil enim est quod ignem in combustionē æqualem faciat perdurare melius his. Igitur diebus prædictis transactis, præfatum vas à fornace extrahas, & quod intus inueneris exsicca: postea verò ex ea vnam partem accipias, & eam cum decem partibus mundati commisceas, & iterum vnam partem mundati assumes, & eam cum decima parte mundi, similiter misceas. & sic deinceps, iuxta hunc ordinem, & numerum eorum, alteri apponatur, vt in vnum misceantur. quibus in vnum commixtis, fac ex eo elixir, hoc est illud dissipa, & si in eo album remanserit, & bene firmatum, neque propter ignis adustionem recessum inueneris, iam duas partes huius magisterii expleuisti. Hic est igitur modus, quo album cum immundo recentissimè coniungitur: neque præter istum modum alius inuenitur. Anima enim cito corpus suum ingreditur, quam si alieno corpori coniungere studueris, incassum labora-

laborabis. Nam ipsa veritas magis est lucida. REX CALID. Omnia quæ dicis vera sunt, vt iam nos vidimus: Et deus animas suorum prophetarum, in manu sua recipiet.

INCIPIT DISPOSITIO *Alias. Ge-
scid: sed. su-
pra Gezid
appellatus
est.
secunda ex dictis Morieni Romani,
quam cum Calid rege filio Egezid *
filij Madoya * habuit.

DIXIT MORIENVS, fume fumum al-
bum & leonem viridem, & Almagra * Al. Mo-
chaia, &
antea Ma-
coia dictus.
rubeum & immundiciam mortui, & hæc
omnia dissolue, quibus dissolutis, fac ea
ascendere, & post ascensionem in vnum
coniungere: ita scilicet quod in vna qua-
que parte viridis leonis, tres partes de im-
munditia mortui apponantur. Similiter
de fumo albo vnam facias partem, & de
Almagra duas, quæ in vase viridi, omnia
ponantur, & in eo coquantur. Os autem
eius vasis firmiter, secundum quod prædi-
ctum est, claudatur. Postea verò hoc in so-
le ponatur, & desiccetur ibi, & quando de-

H iij siccatum

ficcatum fuerit, elixir sibi appone: ac demum pone super eum aquam sanguinis, quanta super eum natet. Post tres dies similiter & noctes, riga eum cum aqua foetida, cauendo ne de suis diebus aliquem minuas, neque suus ignis extinguatur, aut ardendo inualescat, aut minuendo eius adustio minuatur. Trãfactis igitur * x v i i . noctibus prædictum vas aperies, & aquam quam intus inueneris extrahas, & iterum alteram foetidam, aquam in eo reponas: quod scilicet tribus noctibus agendum est, cauendo etiam ne vas vllatenus à sua fornace remoueatur: appositio verò aquæ foetidæ, semel in vnaquaque noctium trium fiat. Inde verò tranfactis x x i . noctibus, vas à fornace extrahas, & elixir, quod in eo fuerit, desicces, postea corpus album sumas, in quo videlicet album iam fixisti, & ponas eum in vase paruisimo, quod est iuxta quantitatem fornacis magisterii, quã postquam construxeris fiat. Inde verò vas illud, firmiter fornaci coniunge, ne eum flamma ignis comburat, vel contingat. Elixir quoque quod superius in eo dixi-

mus

mus debere proiici, sit taliter, vt si de albo corpore partem * ei proieceris de elixir, ^{Alias. x.} partes x i. proiicias, quibus commixtis super vnāquamque huius corporis commixti vnciam, quartā partem vnus dragmatis de eudica solum proiicias. Hoc ita factō, in magna fornace hoc vas ponas, & per duos dies, & totidem noctes eum ibi dimittas: super cuius caput, ignis, qui per tot dies & noctes, non extinguatur. His igitur diebus & noctibus completis, Hoc quod in vase inueneris extrahas, & lauda creatorem altissimum magnum, super ea quæ tibi tribuit.

INCIPIT EXPOSITIO specierum.

DIXIT MORIENS. O Rex bone, & sapiētissime, hæc est expositio specierum, quæ huic magisterio pertinent, quarum scilicet antecessores nostri, multis atque diuersis nominibus nominabant, vt eos qui hoc magisterium indigne quærent, contra ipsius veritatem penitus errarent.

rent. Scito igitur quod immundum corpus est plumbum, quod alio nomine afrop interpretatur. Corpus verò mundum est stannum, quod alio etiam nomine arena * nuncupatur. Leo viridis, est vitrum Almagra * quoque est laton, licet superius eam esse terram rubeam diceremus. Sanguis quoque, est auripigmentum, & terra foetida est sulphur foetidum. Sed & Eudica, omnium horum est secretum, quod scilicet alio nomine Mosz hacumia dicitur, quod quidem Latinè fex vitri, vel vitri immundicia, dici potest *. Fumus verò rubeus, est auripigmentum rubeum. Fumus quoque albus, est argentum viuum. Et fumus citrinus, est sulphur citrinum. Ecce iam nomina specierũ tibi exprimo, quarum tamen tres ad totum magisterium tibi sufficient: Id est, fumus albus, & leo viridis, & aqua foetida. Habes igitur tres species, nec suam confectiõnem nemini dicas vel detegas: sed sine stultos circa hoc magisteriũ quælibet alia quærere, & quærando errare, quoniam ad eius effectum, non peruenient vsque dum sol & luna, in vnum.

* alias. Al-
lucch.
* al. Amal-
gra.

* sunt enim
duo eius ge-
nera, citri-
num, &
rubeum.

vnum corpus redigantur, quod ante Dei præceptum euenire nõ potest. Existimant enim quidam, quod secretum huius magisterij sit terra, aut lapis, aut vinum *, aut * *al. ouum.* sanguis, aut vrina, aut etiam acetum: & per se * hæc omnia terunt, & coquunt, & à * *al. sape.* sua decoctione extrahunt, & extractum sepeliunt: quia iuxta opinionem suam facere credunt, vt suus error magis confortetur, & ne desperent de hoc, quod quærunt inuenire. Sed scio quod terra & lapis, & hæc omnia ad magisterium sunt inutilia, & malum exitum habentia. Hoc etiam te scire conuenit, quod maxima huius operis efficacia, in suo igne perpenditur: nam cum eo mineræ aptantur, & malæ animæ in suis corporibus retinentur. eius quoque ignis, est tota eius natura, huius rei natura atque perfecta probatio. Quicquid etiam ad hoc magisterium effeceris, in cuius principio vnum non inueneris, inutile est. Quod namque bonũ sperari potest, quum ipsa res non faciat, neque secum in mundo conficiat? Ita scilicet vt in vnum corpus redigatur. Si autem secundum quod

diximus ista tractaueris, auxilio Dei tua complebitur intentio. Quod ergo diximus, tu bene intellige, & intellecta tuæ cōmenda memoriæ, & iuxta suum ordinem illam dispositionem, & in eorum dispositione frequenter stude. Nam eius frequens studium, viam eius rectiorem tibi ostendet. Similiter scias, maior radix huius operis est in inquisitione specierum, quæ sunt meliores ad hoc magisterium. Nam vnacūque minera, multorum est generum. De hoc quoque, quod defumo albo interrogasti, scire te conuenit, quod fumus albus est tinctura, & etiā anima horum corporum solutorum, & etiam mortuorum, quorum videlicet animas iam extraximus, & iterum eas, suis corporibus coniunximus. Nam omne corpus, quando anima caruerit, tenebrosus, & obscurus erit: & fumus albus est qui in corpus, veluti anima defluit, vt eius nigredinem, atque eius immūdiciam ab eo penitus auferat, & corpora in vnum cōsolidet, & eorum aquam multiplicet*. Nam immundum, nigrum est, & multum leue: & ideo quando sua aufer-

* al. Et ea multiplicet.

aufertur nigredo, sua albedo confortatur, & sua aqua multiplicatur; ac sua pulchritudo magis erit apparens, & tinctura tunc magis in eo apparabitur. Quid plura? Si hæc omnia bene tractata fuerint, tinctura in eo bene operabitur, & exhibit eius aurum purissimum & rubicundum, quo scilicet nullum melius, atque magis purum inuenire poteris. Ob hanc igitur causam, hoc aurum à quibusdam aurum, vel ethees Romanum solet appellari. Hoc etiam te scire volo, quoniam si fumus albus non esset, nullatenus aurum ethees alchymix purum, siue vtile perpetrari posset. Hoc est etiam huius magisterij capitulum, & quasi tota sua directio. Quod si quando alchymia confecta fuerit, eius vna pars inter nouē partes argenti ponatur, quoniam totum in aurum purissimum cōuertetur. Sit ergo Deus benedictus Amen, per cuncta seculorum secula.

Explicit liber alchymix de Arabico in Latinum translatus, anno millesimo centesimo octuagesimo secundo, in mense Februarij, & in eius die vndecimo.

* al. operabitur.

* al. super mille partes.

a.

ROBERTVS VAL-
LENSIS RVGL.

Spiritus intus inest, quem sumito, (Cor-
poris hæc est

soluc.

Sectio) seiunctis fæcibus: Arte leui.

Fæcibus ac terra demissis igne benigno,

gela.

Sæpius aspersis. Intus Elixir habes.

COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE

QD
25
M82 I.3

